

*Bibliothèque numérique*

medic@

**Abel-Remusat, J. P.. - *Dissertatio de  
glossoseme-iotice, sive de signis  
morborum quae e lingua sumuntur,  
praesertim apud sinenses***

**1813.  
*Paris : Didot*  
*Cote : Paris, 1813, n°131***

# DISSERTATIO

N.<sup>o</sup> 131.

DE

## GLOSSOSEMEIOTICE,

Sive de signis morborum quae è lingua sumuntur,  
præsertim apud Sinenses;

Quam in aula publica celeberrimæ Facultatis Medicæ  
Parisinae, pro Medicinæ Doctoratûs gradu adipiscendo,  
die 25 augusti 1813, propugnare conabitur

J. P. ABEL-REMUSAT, Parisiensis.

P A R I S I I S ,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinae.

1813.



# FACULTAS MEDICA PARISINA:

- D. LEROUX, DECANUS.  
D. BOURDIER.  
D. BOYER.  
D. CHAUSSIER.  
D. CORVISART.  
D. DEYEUX.  
D. DUBOIS.  
D. HALLÉ.  
D. LALLEMENT, *Examinator.*  
D. LEROY, *Examinator.*  
D. PELLETAN, *Examinator.*  
*Professor.* D. PERCY, *Præses.*  
D. PINEL, *Examinator.*  
D. RICHARD.  
D. SUE.  
D. THILLAYE.  
D. PETIT-RADEL.  
D. DES GENETTES.  
D. DUMÉRIL.  
D. DEJUSSIEU.  
D. RICHERAND.  
D. VAUQUELIN.  
D. DESORMEAUX.  
D. DUPUYTREN, *Examinator.*

Decimo nono frimarii mensis die, anno 7, Scholæ medicæ Professores,  
opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas  
esse, et illas à se nec approbari nec improbari statuerunt.

AMPLISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS


INCLYTÆ FACULTATIS PARISIENSIS

PROFESSORIBUS

D. PRÆSIDI, DD. EXAMINATORIBUS,

J. P. ABEL-REMUSAT,

RESPONDENS.



## PROCÉMIUM EXCUSATORIUM.

---

QUONIAM mihi, nobilissimum artis medicæ curriculum subintranti, atque discipuli morem adhuc gerenti, periculum faciendum est, an aliquem ex egregiis præceptis, quæ per tot annos in hoc Asclepiadeo haurire potui, fructum ceperim, ac doctorali laureolâ non indigniorem me præbiturus sim, argumentum eligere debui, quo documenta Vestra fideliter exponere, non serviliter repertere liceret, ne forte Vobis, vana Vestrarum prælectionum reciprocatione, tantum tædii afferrem, quantum ex eis olim utilitatis atque delectationis accepi. Non igitur inutile fore ratus sum, si iis quæ Vobis docentibus didici, aliquid novi conarer adjungere, quod brevioris experientiæ meæ inopia non suppeditabat, studia verò prorsus aliena, nec tamen ad medicinam reduci negantia, ultrò suggerabant. Tantæ quidem hippocraticæ doctrinæ, nunc Vestris auspiciis ac exemplis redivivæ habentur opes, ut eas unquam adaugendi nulla ferè spes aut necessitudo supersit. Verumtamen spero fore ut à Vobis imprudentiæ convicio absolvatur, si quum hic aliquid ex more dicendum sit, illud deprompserim de systemate medico gentis à nobis ex omni parte remotissimæ, nec cum Europeis, si ad physices et historiæ naturalis culturam respexerimus, comparandæ, non tamen sub hoc ipso respectu contemnendæ, nec, ut sæpius fieri solet, sine judicio judicandæ.

Conveniunt in eo universi Europæi, quod naturæ peritiam rectamque contemplationem Europæ soli in partem

vj

datas fuisse arbitrantur, nec profecto risu fastidioso possent abstinere, si quid ex Asiæ gentium disciplinis desumptum, adoptandum ipsis aut imitandum proponeretur. Cui confidentiæ, ut eam immenso progressui, quem à tribus sœculis in studio naturæ fecerunt, indubitatisque meritis inniti bene noverim, cavebo ne nimia ac intempestiva scientiarum sinicarum jactitatione districtum adverser. Fatebor tamen Sinas non adeò rerum naturalium rudes mihi videri, multaque ad eas spectantia in eorum libris reperi, quæ Europæorum attentione digna forsitan essent. Quod ex speciminibus compluribus facilè patet, clariusque patet, nisi missionarii, à quibus tot et tanta de rebus sinicis accepimus, in physicis plerique prorsus alieni fuissent. Indè fit ut eorum commentariorum collectio, quoad historiam, philologiam, mores attinet, luculentissima, nulla que forsitan academicâ collectione superabilis, sub naturalis historiæ respectu, vana sit et rebus vacua. Sed aliundè veniunt hujusmodi specimina, quibus facta Sinarum in scientiis imperitia confutatur: jam chimiæ sinicæ rationem explicavit *Cl. Julius von Klaproth*, patris incliti filius dignissimus, mihique amicissimus, in ultimo commentariorum academiæ petropolitanæ tomo. Materiam medicam atque botanicen quibus ego potissimum studui, expositurus sum in meo *Floræ sinicæ specimine*, adhuc in serinio latenti, sed mox in lucem edendo; ibique comparationem nominum quibus plantarum species in Sina designantur, cum Linnæanis appellationibus instituam; anatomen, zoologiam, physiologiam hucusque in cunabulis apud Sinas, ut et olim apud Græcos, jacere, ac ne nauci

quidem habendas esse non denegabo. Restat medicina de quā maximē hīc agitur, cuique, ut munus meum adim- pleam, diutiūs insistendum erit.

Si ex celebratione quam scientia quælibet apud gentem aliquam habet, quantoperè gens ista in ejus studio profe- cerit, opinione conjici posset, nulla apud Sinas doctrina medicinā provectionis, nulli in terrarum orbe medici cum sinensibus comparandi essent. Medicinæ enim studuerunt ab imperii sui primordio, regesque pristini quos veluti omnium nobilissimos summā adhuc veneratione prose- quuntur, artis medicæ inventoribus atque favitoribus annumerantur. Fatendum est tamen Sinas huicce natu- ralis historiæ parti, ut et cæteris, majori studio quām pro- fectu animos applicuisse. Abstrusum insuper et inintelli- gibilem loquendi morem adoptaverunt, atque meta- physica de origine mundi principia indesinenter advocant, quæ, quamvis in plurimis missionariorum operibus expli- cata fuerint, adhuc ab intelligentiā sensuque vel peri- tissimorum disjuncta manent; ita ut nihil unquam ex hominum mente defluxerit, quòd Sinarum medicinam obscuritate vincat, resque sit perdifficilis et interdùm Europæo impossibilis, aliquid veri solidique per istam verborum caliginem deprehendere. Quod facillimè cognos- citur è libellis sinicis quos *M. Boymus* latinè vertit, *A. Cleyerus* indigno dolo subripuit et compilavit, atque sub suo nomine publicavit: illos si quis sinici sermonis ignarus vel attentissimè legere conatur, nodis innumeris intricari mox sentiet, nec facilijūs intelligere poterit, quām si suo primordiali idiomate conscripta remansissent.

viii

Atqui medicos sinenses non ex istis operibus judicandos censerem, quippè qui obscuro sermone, ut olim nostrates, recte sese queunt intelligere, atque phrasibus ambagiosis veritates edocere, quas usu longo et experientiâ merâ didicerunt. Nihil etiam adversùs eos colligendum existimo, è circulatoriis agyrtorum curandi rationibus quas missionarii in suis operibus enarrant: quoniam ii qui medici dignè dici possunt, auxilia quæ superstitione suppeditat ægrotantibus, in Sina pariter ac apud Europæos, derident atque contemnunt. Verùm, si momenti cujuspiam observationes sperari possunt, eas in ipsissimis Sinarum libris iterùm iterùmque lectis quærendas arbitror, nec oleum perditurum esse reor eum qui, enucleatis styli medici nodis, opera celebrium *Khi-pe*, *Loui-koung*, *Wan-chou-he*, et cæterorum adiret, ibique doctrinam pulsuum, glossosemeioticen, unctionis usum, etc., inscienter à missionariis expositos, in ipsis fontibus bauriret atque dilucidaret. Hæc omnia simul exantlare, labor est quem in dissertatione non suscipiam, quum illi forsitan adimplendo plura volumina vix sufficerent. Quocircà unum tantùm argumentum usurpabo, scilicet de signis morborum è lingua sumptis, quorum Sinas peritissimos esse demonstrabo, variis prognoseos aphorismis, quæ juxta certas regulas in eorum libris afferuntur, fideliter excerptis, atque cum nostratis effatis, sedulò et sine partium studio collatis. Quod si Vobis non prorsùs inutile videbitur, aliquantulâ sinicæ linguæ notitiâ fretus, in cæteras medicinæ partes olim protendam, tempore opportuno, majoribusque laboribus peractis, quibus impræsentiarum detineor.

---

# DISSESTITO

DE

## GLOSSOSEMEIOTICE,

Sive de Signis morborum quae è lingua sumuntur,  
præsertim apud Sinenses.

I. LINGUA morborum investigatori non levem utilitatem præbet, ut potè quae cum ventriculo, viscerum animantium principe, sympathiæ vinculis intimè conjuncta, arctasque cum organis respirationi et digestioni inservientibus connexiones habens, omni turbamento, quod in humano corpore accidit, interest, omnis defectionis, quam gravissimæ vitæ functiones patiuntur, conscientia est atque particeps, morbos tandem ferè universos, sæpè penitus declarare, saltem denuntiare valet. Nec igitur validè mirum est si indicia ex eâ sumpta plurimi semper fecerunt medici, tum veteres cum recentiores, eaque sedulò in suis operibus enarraverunt. Imprimis *Hippocrates* linguam urinis assimilat (1), eo quod humoris exuberantis vitium, ut et urinæ colore referat. Sæpè ad linguam ejusque signa revertitur in variis operibus, eximiaque ex eâ prognostica profert quae mox ultrò in locum suum examinanda venient. Eo duce, pariter linguæ signis confisi sunt medici recentiores;

---

(1) Ep., l. 6; perobscuram *Hippocratis* sententiam rectè exponit *Galenus*.  
Comment. 5, text. 16.

( 10 )

« Magna sunt argumenta , inquit *L. Duretus* (1) , quæ ex qualitatibus et actionibus linguæ petuntur , cum perspicientiâ causarum res illas efficientium , ad cognoscendum et prædicendum quid cuique eventurum sit in morbis acutis . » Et *Prosper Alpinus* , hippocraticâ doctrinâ itidem imbutus : « Linguæ inspectio , ait (2) , in acutis morbis ita utiliter observatur , ut non parvam in quibusdam ægrotis partem præsagii habeat . » Idem etiam sentit *J. Riolanus* (3) , *Sanctorio* adversatus , qui signa ex inspectione linguæ desuma , vana esse et fortuita contenderat (4) . Haud minorem iis fidem tribuunt ævi nostri scriptores , ut ex commentariis *Leroy* , *Broussonet* , *D. n. Landré-Beauvais* , aliorumque semeiologorum necnon *Bordeu* , *D. professoris Pinel* , omniumque medicorum illustrissimorum præcellentibus operibus colligitur . Sinenses etiam medicos , prognosin sæpiissimè è linguæ statu sumere , jam argumentum est quo ipsi non ita imperitos in morbis dignoscendis , eorumque signis diligendis esse demonstrantur . Quinetiam , si de signis istis , principia prudentiæ plena protulerunt , ac varias prognoses apprimè posuerunt , quæ cum hippocraticis effatis convenientiunt , res extra dubium omne feretur ; quod , nisi fallor , postquam anatomicam linguæ structuram leviter commemoravero , luce meridianâ clarius patebit .

II. Lingua corpus est molle , carneum , symmetricum , magnitudine varium , retrorsùm subrotundum et epiglossidi adhærens , antrorsùm solutum et in hebetem apicem desinens : illud musculi extrinseci tres ex utrâque parte , nempè *M. genioglossus* , *M. hyoglossus* , et *M. styloglossus* , musculusque intrinsecus sive lingualis unus constituunt , fibris ope telæ cellulosæ densissimæ arctis-

(1) In Coac. , p. 153.

(2) De Præsag. vit. et mort. ægrot. , ed. Boerhaav. , p. 316.

(3) Anthrop. , l. 4 , cap. 9.

(4) Vitand. , Err. , l. 10.

( 11 )

simè connexis, et ita districtum inter se intricatis, ut aliæ ab aliis nequaquam discriminari possint. Arterias ab externâ carotide, venas ab internâ jugulari accipit; vasa lymphatica ad glandulas jugulares superiores immitit. Duplicem nervorum ordinem habet, alios à nono pari ramoque glossopharyngiano octavi venientes, qui musculos præsertim ineunt, alios à ramo linguali maxillaris inferioris emissos, qui unâ cum vasis sanguineis papillas faciei linguæ superioris infrâ memorandas generant. Hæc sunt quæ ad internam linguæ structuram attinent, minus ad præsens nostrum institutum facientia quam quæ sequuntur. — Superficies externa linguæ membrana mucosa vestitur, quæ reliquæ oris membranæ continua est, tribusque partibus constat, nimis epidermate, corpore mucoso et glandulis, sive folliculis. Facies superior, sursum versus palatum respiciens, sulco sive linea medianâ dividitur in duas partes quæ linguam duplicem sive *διφυην* quadantenis efformant, ut loquitus est *Galenus* (1), qui harumce partium alteram nullo ferè cum alterâ nexus jungi et nonnunquam discretum affici benè novit. Sulcus iste posterius in depressionem abit, quæ vulgo *Morganii* vel *cæcum foraminulum* audit, atque plurimum folliculorum mucosorum communem aperturam refert. Ex utroque sulci mediani latere, duplex linea cernitur ad exteriors et anteriors tendens, et in intervallo varia papillarum genera quæ *mucosæ fungiformes* atque *conicæ* dicuntur, quarum priores humorem mucosum, quo salivæ copia augeatur, atque masticationi faveatur, secernunt. Tota facies superior aspera est et regulariter scabrosa. Facies inferior quæ retrorsum ori tabulato muscularum ope adhæret, antrorsum soluta est atque lœvis, sulco mediano signata, plicatura tantum membranæ buccalis, quam *frenum* vocant, moderata. Margines laterales crassiores à posteriori, tenuiores ad anteriora sunt. Apex ad formam orbiculatam plus minusve accedit. Basis in imo ore latens, oculo-

---

(1) *De usu partium*, l. 11, cap. 10.

( 12 )

rum aciem fugit, ideòque nulla signa medico largiur. — Lingua præcipuum gustatûs , deglutitionis atque sermonis instrumentum est. Facies ejus superior magis saporibus dignoscendis inservit; inferior tamen salium atque mineralium acritudinem, gustumque metallicum henè percipit. Ut triplex suum possit adimplere munus , necesse est qualitatib[us] potiatur quæ statim ejus *physiologicum* , ut vulgò loquuntur , constituunt , nempè justum volumen habeat, sordibus nullis infuscetur, colorem referat subtûs roseum , et superiùs non nihil cineraceum , maximâ mobilitate et libertate donetur , blandâ humiditate gaudeat, mollis denique sit, et tamen renitens. Ex harum autem qualitatum vitiis, alia pathologica , alia merè semeiotica sunt : de his tantum h[ic] agitur.

III. Signa quæ ex inspectione linguæ capiuntur ad quadruplicem genus referri possunt, scilicet: quæ ex ejus volumine aducto vel imminuto sumuntur ; quæ ex sordibus vel glutine quibus ejus superficies inficitur et color nativus immutatur; quæ ex ejus humiditate vel siccitate , ex mollitie vel durius , ex pustulis sive scabris, sive ulcusculis ejus superficie adnascentibus; quæ tandem ex ejus motibus imminutis , oppressis , tremulis. Temperiem etiam induxit *Prosper Alpinus* ex *Hippocrate*, de quâ , ut difficilia signa præbet semeiologo , verbum tantum faciemus. Gustatus denique perversionem in hâc enumeratione mittimus , quæ non ad linguam tantum , sed ad totius oris superficiem pertinet , vel ex infectione linguæ pendet, ideòque ad alterutrum argumentum remittenda. Cæterum linguæ signa non tam h[ic] absolutè et ex professo tractanda suscepi , quod jam multi ante me fecerunt, quam tantummodò commemoranda , ut comparationem instituerem prognoseos , u[er]a Sinis elicitor , cum nostrate. Quamobrem singula indiciorum genera perlustrabimus ; at ea præsertim quæ de colore linguæ capiuntur perpendemus , cætera leviter perstringendo , quibus minus incubuerunt Sinæ , et de quibus nihil novi dicendum habemus quod dignum sit attentione.

( 15 )

IV. Ratio linguæ voluminis vix ulla apud medicos sinenses habetur; itaque satis erit strictum revocare quæ de isto signo dicuntur à nostratibus. Linguæ moles nonnunquam ita adiecta visa est, ut refert *Prosper Alpinus* (1), ut vix ore potuerit contineri; sed illud morbus est simul atque signum, et potius curandum quam observandum. È contrario linguæ voluminis imminutio, *præ nimio calore humido, omni ferè hausto*, ut ejusdem scriptoris verbis utar, aliquando apparuit, *quod est signum intensissimi caloris, morbique maximè timendi*. Sed relictis expletæ medicinæ effatis, verisimile est linguæ exinanitionem inter reliqua tabis et marasmi symptomata reponendam esse. Quippè, si totum corpus, in quibusdam emaciatis, mirabilem passum est extenuationem, quid vetat ne lingua, quæ naturâ succosa est et vasculosa, pariter exsicetur et marcescat? Illud autem revera evenisse observationes non paucæ demonstrant (2).

V. Sordes quibus lingua inficitur naturæ ejus spongiosæ tribuit *Galenus*, quâ facilius fit ut humores exsuperantes absorbeantur et ad exteriora prodeant (3). Vanitas hujus explicationis quâ *Galenus* observationem *Hippocratis* veritati et experientiae consentaneam deturpasce videtur, in verbis potius (me judice) quam in ipsâ relevantia: quandoquidem, positâ sympathiæ causâ, cuius ope colluviem gastricam vel intestinalem albedine vel flavescentiam linguæ foris apparere credimus, circulatio tamen aliquantula bilis per vasa lymphatica admittenda est, quæ cutem, conjunctivam et ipsam linguam tingit. Linguæ quidem alborem producere potest immutatio vel via secretioris mucosæ papillarum. Sed prorsus alia est natura fuliginis quæ in febribus adynamicis, non linguam tantum, sed et labra gingivasque inquinat; namque in hoc morbo, velut in sto-

---

(1) Lib. cit., p. 319.

(2) Conf. sub bujus dissertationis finem.

(3) De Cris. III.

( 14 )

macace , summa habetur virium debilitatio ; hinc solidorum relaxatio , variaque in variis locis humorum transsudatio . Cruor igitur per raram gingivarum et linguæ structuram stillare potest , mox concrescere , nigrescere , fibrillisque furvis oris interiora inducere . Quod subodoratus esse videtur *Hippocrates* , quum linguam nigram simul atque cruentam (Γλῶττα μέλαινα καὶ σίγατάδης ) (1) memorat . Quæque sit hujus immutationis causa et origo , cuius supra memoratam explicationem , hic dubius et obiter tantum amplexor ; si prognosis de colore linguæ capienda sit , cavendum est prius medico ne falsa rerum specie defraudetur ; quod evenire posset , si merum nuperrimè hausisset æger , cuius color nigricans interno ori adhæsisset ; commemorandum est an ante morbum linguam habuerit roseam et nitidam ; sunt enim non pauci , præser-tim inter eos qui lymphaticâ temperie donantur , vel qui ore hianti , præcipue horis pomeridianis obdormiscunt , quorum linguæ sordes-cere et albicanti glutine infuscari solent . Tentandum est denique an lingua derasa , abstersa , vel abluta , iisdem denuò sordibus inficiatur ; mutatur enim aliquandò signum istud , vel omninò deficit , morbo vergente , vel desinente . His ita præmissis , prognosis capi potest et à Sinensibus reapsè capitur , ut sequitur .

VI. *Lingua merè rubra* , secundum medicos sinenses , « mor-bum indicat ex calore nascentem ; totum ægri corpus dolet ; « caput turbatur ; oculi rotantur ; os amarescit ; lingua sicca est ; « magnus calor in interioribus habetur ; lotium rubeum est et as-perum . Pectus aliquandò occlusum est et oppletum ; ægrotans « diu noctuque non quiescit ; pulsus est solidus ; os et labia instar « ignis rubicunda , et unionum instar rotunda ; guttur inflatum « dolet . Si linguæ rubeæ pustulae adnascuntur , febris magnum « calorem comitatur , æger horret frigore , dolet capite ; pulsus « profundus est . Si lingua rubras in medio veluti guttulas habeat ,

---

(1) Aph. VIII , 9.

( 15 )

« calor invalescit magis, pectus oppletum videtur; sicut æger et dolor sentit in latere (1) ». — In his linguae rubentis symptomatibus concomitantibus, quæ ex variis locis in unam picturam collegi, generales febris angiotenicæ atque phlegmasiae nemo non agnoscat, quos hic ad comparationem instituendam breviter commemorare placet: acris cephalalgia, scotodinos, spontanea lassitudine, calor vividus è capite in reliquum corpus divergens, facies rubra, sitis, cutis calor, pulsus frequens, difficultas in deglutitione, etc. Hæc omnia quæ ex cl. professoris *Pinel* paradigmatis excerpta sunt, mutatis verbis planè eadem sunt quæ à Sinensis enarrantur.

VII. « Si lingua alba est atque visco induita et in extremitate flava, ventriculi debilitatem indicari putant medici sinenses; sæpè oritur frequens et diurna ventris solutio, cui obeundum est, aptius cibis vim pristinam intestinis restituendo ». Nihil, fateor, in hæc descriptione febrem adenomeningam nominatum redolet. Attamen indicium et præceptum omnino cum ratione conveniunt; namque in diarrhœa levi, quam colluvies gastrica vel intestinalis ex alimentis pravis generavit, lingua verò albicans et in apice tantummodo flavescens indicat, pharmaca minus prosunt quam cibus blandus quo causa morbi tollatur, viresque ventriculo restituantur. Res etiam applicari posset iis, qui morbis chronicis laborantes, linguam plerumque albescentem habent.

VIII. Linguae flavescentis epiphænomena pari diligentia à Sinensis enumerantur: « Si lingua tota flavescens est, aiunt, vel lucido flava, ventriculus durus est atque solidus, venter occulditur, intestina sicca sunt, urina egeritur rubra vel aspera. Alio quando multum garrit æger, non sudat, nec cibum nec potum

---

(1) Varia exstant in *B. J. P.*, libelli de Re medicæ, quorum hic materiam summatim colligo.

( 16 )

« cupit, pectus oppletum sentit. Tunc ventris laxatio prodest. Si  
 « lingua viscum album habeat in medio, flavescentemque à lateri-  
 « bus, morbus est intestinorum; facies paulatim flavescit, lingua  
 « intumescit, ideòque ægrè loquitur ægrotans; venter oppletus est  
 « et tumidus. Si lingua flavescens puncta in apice referat rubea,  
 « instar margaritarum rotunda, signum est calorem intrasse in-  
 « testina: tunc calor ingens efficitur; æger loquitur absona; totum  
 « corpus dolet; caput montis instar gravatur; cor molestiæ oppri-  
 « mitur. Si in medio flava sit et circum alba, æger pluries vomit,  
 « tussit; caput gravatur, renes dolent, etc. ». Faciliùs his sym-  
 ptomatibus dignoscitur febris gastrica sive biliosa, cum quibusdam  
 ex ejus frequentioribus complicationibus, quam reapsè demons-  
 trant, teste cl. professore *Pinel*, cutis ardens, acris, arida; os  
 amarum; lingua albicans vel flavescens, os et labra turgescentia,  
 sitis, dolor epigastrii, cephalalgia, membrorum oppressio, vo-  
 mitus, urina rubra, etc., et secundùm complicationes, garrulitas,  
 delirium, anxietas summa, oculorum torvitas, etc. Hic denuò Si-  
 nenses cum Europæis omnino concordant.

IX. Infaustissimum signum Sinensibus, ut et nobis, videtur linguæ nigredo, sive totam ejus superficiem occupet, sive quamdam tantum partem teneat: « Si media pars linguæ nigrescit, inquiunt, morbus est profundus et periculosus; si pulsus natans sit et le-  
 vis, convenit sudare, ut medearis; si pulsus sit profundus atque solidus, convenit expurgare ventrem; si pulsus sit profundus, subtilis, debilissimus, nulla spes ex medicinâ superest (1); si lingua lineis nigris signetur, septimo circiter die labia subnigrescunt, pedes atque manus frigent, pulsus valde subtilis est et remissus. Si pars media nigra sit et apex rubeat, dolet ex cælore guttur, et si spatio decem vel amplius dierum febris me-

---

(1) Conf. *Hipp.*, Coac. II, c. 7, 1, 5, ap. 8, 9.

( 17 )

« dicinis non supereretur, æger ex calore multùm garrit, pectus dolet. Linguam subrubram in medio, et in extremitate solum nigram comitantur sputum siccum, sitis, cordis molestia, tædium, vomendi cupido, insomnia diurna nocturnaque; urinæ modicæ sunt; si post octo vel novem dies nulla fit mutatio, si gnum est mali nullum finem habituri. Si quidam veluti pili (filamenta fuliginosa) supra linguam nascuntur, æger nil curat, dentes constrictos tenet, loquitur absona, ingens constipatio habetur, parùm urinæ excernitur: his ita se habentibus, si pulsus viribus caret, æger morietur; si pulsus natans sit, magnus et redivivus, quædam vitæ spes concipi potest ». Patientiâ lectorum abuterer, si huic tam accuratæ et adæquatæ febris adynamicæ descriptioni aliquid adjungerem. Satis erit annotare, non solum febrem, sed etiam aliquot ejus complicationes, apprimè hic è vario linguae partium colore indicatas esse.

X. Eluent maximè sinensium medicorum ingenium et perspicientia in eliciendâ prognosi è linguâ diversis, ut nonnunquam accidit, coloribus depicta. Jam albedinis, slavescentiæ, ruboris, nigredinis mistionem memoravi, quæ febrium mucosæ, biliösæ, inflammatoriæ et putridæ, aliæ cum alia combinationem denotat, nec negligitur à Sinensibus, qui varia symptomata pro caloris linguae diversitate referunt. Sed alii quoque generis varietatis meminerunt, cuius observatio majorem semeiologiæ peritiam ostendit. « Si lingua partim nigricans, inquit medicus sinensis, partim flavescens ad latera sit, primo die caput dolet, corpus aestuat; æger patitur sitim et molestiam; secundo die, ignis nares ingreditur; tertio die, loquitur absona. » Nullum ex ataxiæ symptomatibus magis mirum est, quam ea partium humani corporis symmetriarum inæqualitas, quâ fit, v. g. ut oculus alter cæcitatem percettatur, alter acie gaudeat insolitâ; altera auris hebescat, altera verò increscat sensibilitate; altera gena rubescat, altera livescat. Nec ullum etiam habetur signum è quo gravis et arduus morbus con-

3

( 18 )

fidentiūs prænuntiari possit (1). Hæc est sine dubio sententia Sinen-sium, quum cephalalgiam, aestuationem, siūm, molestiam delirium-que tandem ex solo signo linguae dimidiatiū variegatae præsentient. Alia quoque varietatis in linguae colore genera memorant, è quibus ipsi signa unius pulmonis affecti videntur inducere, uū solebat apud nos *Bordeu*. Sed res ab iis non adeò distinctè expri-mitur, ut eam cæteris ingenii sinici probationibus et exemplis adjungere velim.

XI. Lingua sicca, scabrosa, contracta, rugosa, phrenitica dicitur ab *Hippocrate* (1). Et quidem asperitas linguæ calorem ingentem denotare solet, v. g. in febre inflammatioā, caumatæ phlegma-siis, etc., ut rectè sensisse videtur *Galenus* (2). Lingua primū sicca et arida fit, secundū *Prosperum Albinum* (3), mox inæqua-lis, dura et horrida, et demū immoderatè siccitate scinditur et ulceratur. Lingua arida simul et nigra exitium indicat, præserūm si non sitiat æger. *Qui cum aliis pessimis signis, inquit Fienus* (4), *linguam habentes aridam, non fuerunt sitibundi, mortui sunt*. De asperitate linguæ loquitur *Celsus* (5), sed pathologi tantū vices gerens. « Lingua cinerei albi coloris, ait sinensis medicus, cum punctis velut florum pictorum et filis nigris, indicat venenatum calorem.... In oculis videtur æger scintillas ignis percipere; pau- latim incipit loqui absona et de spectris. Pulsus est frequens et natans. » Mira cum hippocratico effato conformitas! « Lingua cum producit viscum album, pergit idem sinensis auctor, et formam serræ refert, et prætereà est dura, non mollis, item

(1) Vid. de hâc re nuperam observationem *D. Aussandon*, in *Gazette de Santé*, 11 jul. 1813.

(2) Αἱ τριχέαι κατάκηραι γλῶσσαι. φρενίκαι. Coac. II, c. 7, 6.

(3) In Prorrhēt., I. 3.

(4) Lib. cit., p. 319.

(5) *Simiot.*, p. 169.

(6) L. 3, c. 2., s. 6.

( 19 )

« sicca , aspera , absque ullâ humiditate , indicat mortem in proximo adesse ; si pars linguæ media ad instar glaciei friget , actum est de vitâ . » Principiorum convenientia per se prodit , nec prolixius vult explicari . De aphthis autem in febribus mucosis , tabe pulmonariâ , viscerum suppuratione , etc. , aliquandò linguæ adnascentibus , obscurè tractat medicus sinensis , cuius doctrinam hic cum nostrarē comparandam suscepi , nisi *maculæ carneæ* , cuius apparitionem nonnunquam memorat , pro aphthis habeantur .

XII. Quoniam signa quæ ex linguæ levitate vel scabritie , humiditate , vel siccitate , duritie vel mollitie , articulo præcedenti , duce *Hippocrate* et naturâ comprehendendi , restat ut aliquid de motibus ejus dicam , quod paucissimis verbis faciam . Nulla eorum commemoratio reperitur in opere medico sinensi quod hucusque sequutus sum atque commentatus . Completa linguæ resolutio per se prodit et paralysim prænuntiat vel consequitur . Lingua tremula vel ad alterum latus declinans signum est pariter grave et membrorum resolutionem et hemiplexiam testatur . Illud videtur intelligisse *Hippocrates* , (1) quum ex impotentiâ linguæ melancholiā inducit . Tremula saltem lingua summam debilitatem manifestat , siquidem ægri vires organo tam exiguo et tot musculis instructo exerendo et moderando non sufficiunt . Pessimum igitur signum in morbis acutis , ut rectè monet *Leroy* .

#### C O N C L U S I O .

Signa quæ de linguæ statu sumuntur à Sinensibus planissimè cum europeanâ doctrinâ concordare demonstravi . Haud minùs in indicationibus educendis , modisque curandi diligendis , eorum inge-

---

(1) Aph. VII , 40.

( 20 )

nium fulget. Quod vulgari opinioni prorsus adversari , non mirabuntur ii qui vanitatem librorum hucusque de medicinâ Sinensium editorum neverunt. Plura de eâ re dicere potuissem , nisi plerorumque europæorum scriptorum auctoritatem penitus neglexerim, et in hâcce dissertatione adhibere dignatus sim. Nec illud superbia dictum esse quis credat : quicumque enim inania *Duhaldii*, *Cibot*, *Jartoux*, *Osbeckii*, *Buchoz*, et cæterorum commentaria legerit, medicam Sinarum theoriam, non in compilatorum vel viatorum sinici sermonis ignarorum tomis quærendam , sed ex ipsis eorum voluminibus diù et attentissimè pervolutis hauriendam esse facile arbitrabitur.

( 21 )

SENTENTIÆ EX OPERIBUS HIPPOCRATIS  
EXCERPTÆ.

A'.

"*Ην ἡ γλῶσσα ἐξαιφνὶς ἀκρατὴ γένεται, ἢ ἀποπλυκτὸν τι τῷ σώματος,  
μελαγχολικὸν τὸ τοιότο γέγονεται.* Aphor. Sect. VII. 40.

B'.

*Γλῶσσα μέλανα καὶ αίματωδης, ἐν τι τῶν τοιότων σημέιων ἀπεῖται, μηδὲ  
σφόδρα κακόν δηλοῖ γάρ γέγον σμικρότερην.* Aphor. Sect. VIII. 9.

C'.

*Γλωσσα δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν πεφρικῦται, τῷ δὲ χρόνῳ διαμένεται,  
προύόντος δὲ τῷ χρόνῳ τραχηλομέτη, καὶ πελαινομέτη, καὶ βρυγυμέτη.  
Θανάσιμον. σφόδρα δὲ μελαινομένην ἐν τεσσαρεσκαῖδεκάτη κρίσιν γίνεται  
δηλοῖ. χαλεπωτάτη δὲ ἐσὶν ἡ μέλανα, καὶ χλωρί. Prænot. Coac.  
lib. II. c. 7. 1.*

D'.

*Αἱ τραχεῖαι καταζητήσατε γλωσσαν φρενικῶν.* Prænot. Coac. lib. II.  
c. 7. 6.

E'.

*Οἱ δύσκωφοι ἐν τῷ λαμβάνειν τρομαδεῖες, γλῶσσαν παραλελυμένοι,  
γαθροὶ κακόν.* Prænot. Coac. lib. II. c. 3. 9.